

tica; has enim sortes Deus pluribus in locis approbavit, et ipse adhibendas indicavit, v. g., Num. xxvi, 55, et xxxiii, 54, et in multis aliis. Quotidie videmus eas adhiberi a politicis, juristis, magistratibus, canonistis et theologis, ad terminandas lites, dividendas hæreditates, decernenda munera, etc., et nullus suspicatur aliquid mali in eis esse.

Diximus autem, *extra casum electionis ecclesiasticæ*, quia hoc expresse prohibitum est in Decretal. l. 5, t. 21, c. 3, ubi Honorius III dicit se cujusdam electionem admittere, addens, propter circumstantias hujus electionis in eo loco relatas, se damnare *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione*: idem aliis auctoritatibus et rationibus adstruitur.

Nec valet contra exemplum S. Mathiæ per sortem electi, quia hoc per singulare Dei privilegium factum est, et aliunde prohibitio juris positivi ad præcavendas fraudes et astutias legitime facta nondum existebat.

3<sup>o</sup> Sortes dicuntur consultoriæ vel diviniæ, quando ope illarum quæritur a Deo quid sit agendum vel cavendum. Aliquando, licet raro, licitæ esse possunt, videlicet, si fiant ex causa urgente et cum debita reverentia erga Deum, pro cognoscenda re necessaria quæ humano modo cognosci non potest: nam ut legitur in Prov. xvi, 33: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Cum existit ratio sic agendi, Deus imprudenter non tentatur, et de facto sic plures Sancti egerunt.

Si vero consilium Dei sic absque gravi causa exquiretur per sortes, dum viis humanis cognosci potest, aut si reverentia Deo debita non servaretur, tunc illæ sortes essent graviter vel leviter illicitæ, secundum circumstantias, propter tentationem Dei et irreverentiam erga ipsum. *Ita omnes*.

Hinc illicita et merito damnata fuit in concilio Venetico, anno 462, et in aliis pluribus, sors sanctorum, de qua tam frequenter fit mentio in Historia ecclesiastica, in eo consistens ut ad apertionem alicujus libri sancti vel ad auditionem lectionis sacræ, ex prima sententia occurrente

cognoscatur occultum vel sciatur quid agendum sit; talis enim sors est saltem vana, cum nullo innitatur fundamento, et in Const. Apost. l. 1, cap. 7, dicitur prohibita tanquam ad idololatriam deducens.

Non minus fortiter reprobandæ sunt sortes ex apertione librorum Homeri vel Virgilio exercitatæ, et ideo Homericae vel Virgilianæ vocatæ.

4<sup>o</sup> Sortes divinatoriæ vel superstitiosæ in eo sitæ sunt ut quis, illarum ope, occulta vel futura humanam cognoscendi facultatem superantia cognoscere intendat, v. g., ex jactu taxillorum, ex numeris per rotam educendis, ex apertione libri. Sortes hujusmodi per se graviter sunt illicitæ, ut pote tacitam vel expressam dæmonis invocationem continentes, siquidem nec ex natura rei, nec ex institutione Dei vel Ecclesiæ, ad hæc manifestanda sunt idoneæ. Ideo damnantur in Scriptura sacra et in pluribus juris canonici capitibus. Ad hoc genus reducitur cribri versio qua nonnulli tentant divinare fures, homicidas, sagas et alia similia; item et *cabala*, apud Judæos usitata, de qua aliquid diximus in Tractatu *de Fide*, t. II.

#### *De virga divinatoria.*

Hæc virga, cujus nulla fit mentio, inquirunt auctores Dictionarii *de Trévoux*, ante decimum quintum sæculum, debet esse ex corylo et bifurcata. Quidam tamen dicunt eam esse posse ex qualibet materia et in quacumque forma. Experientia compertum est eam certo modo delatam, inclinari super aquas sub terra delitescentes, super metalla et, juxta quosdam, super agrorum limites, super vestigia furis vel homicidæ. Multi ea utuntur ad detegendos fontes aquarum, vel thesauros absconditos.

*Jacobus Aymar*, dives quidam rusticus in pago Sancti-Verani, in Delphinatu, anno 1662 natus, usum virgæ divinatoriæ reddidit celebrem anno 1692, ope illius quærendo occisores cujusdam cenopolæ atrociter interfecti cum uxore sua Lugduni, die 5 julii illius anni, eos per vestigia persequendo usque Bellicadrum (*Beaucaire*), ubi unum ex

ipsis inter duodecim incarceratos discrevit : is convictus et crimen confessus, supplicio plexus est.

Circa usum virgæ tres prodierunt opiniones : quidam , inter quos *Chauvin* et *Garnier*, doctores medici, illius motum in cunctis casibus naturalem esse et licitum demonstrare conati sunt. Alii crediderunt eum esse superstitiosum, pactum cum dæmone implicitum continere et ex omni parte reprobandum esse. Ita *P. Malebranche* et *P. Le Brun*, ea de re longe tractans in opere cui titulus : *Histoire critique des pratiques superstitieuses qui ont séduit les peuples*, 4 vol. in-12. Alii non negant fontes aquarum et metalla ope virgæ naturaliter detegi posse ; illius tamen usum , ut fieri solet, reprobandum esse putant, ob varias circumstantias evidenter superstitiosas : v. g., 1º requiritur intentio agentis ut virga in manibus ejus moveatur ; 2º finis intentus : unde si quærat pecunia, virga immobilis erit super aquam, aut si quærat aqua, inclinabitur super aquam, et immobilis erit super thesaurum. Porro causæ naturales ab hujusmodi circumstantiis pendere nequeunt. 3º Nulla est distinctio physica inter duos lapides in terra delitescentes et prorsus similes : quomodo ergo virga unum ab alio naturaliter secernere potest ? 4º Multo difficilius est ut reos ab innocentibus naturaliter discernat.

In his igitur circumstantiis, aut effectus attributi virgæ sunt imposturæ vel illusiones, aut a dæmone procedunt ; itaque damnare nollemus usum istiusmodi virgæ ad detegendum aquas vel metalla, sed modos superstitiosos et alias applicationes ejus omnino reprobanda esse censemus.

#### *De magnetismo animali.*

*Antonius Mesmer*, medicus Germanus, anno 1734 natus, novos curandi modos quærens, arbitratus est et probare voluit se remedium mirabile inauditamque operationis speciem invenisse in influxu planetarum, deinde in fluxu magnetis, postea tandem in quodam fluxu subtilissimo e cunctis corporibus animalium procedente, fluxui magnetis

simili, quem ideo vocavit *magnetismum animale*. Multas fecit experientias Viennæ in Austria, et Parisiis quo venit anno 1778 ; plerique docti, quorum suffragium variis tentamentis exquisivit, eum suggillaverunt et artem ejus contempserunt ; quosdam tamen pro se habuit : in doctrina sua perseveravit Parisiis et Londini ; tandem in sua patria reversus, obiit fere ignotus anno 1815.

Plures artem ejus exercere perrexerant, et non pauci etiam nunc, sive medici, sive alii, Parisiis et alibi eam exercent, contententes se, ope fluxus magnetismi animalis, personas consentientes, præsertim mulieres, ad statum somnambulismi, quædam sensibilia faciendo signa, reducere, easque usu sensuum orbatas, multa videre, audire, intelligere et loqui, etiam a magnis distantis, maxime circa proprias aliorumve infirmitates et remedia eis applicanda, quæ aliunde prorsus ignorant et in statu naturali restitutæ non recordantur. Multa hujus generis narrantur facta, a pluribus habita ut vera et authentica, ab aliis rejecta ut fictitia : acriter inter se ea de re disputant medici periti ac critici, et quamvis plerique facta allegata inter fabulas rejiciant, sunt tamen non contentandi qui ea admittunt ut vera. Legi possunt *Biographie univ. art. Mesmer* ; *Nouveau Dict. de méd.* 22 vol. art. *Magnét. par Rostan*, *Gazette de médecine et Revue médicale de 1832* et 1833, et multa alia opera ab eo tempore usque ad hodiernam diem de magnetismo animali edita.

Quidquid sit, damnare non audemus eos qui, arbitantes effectus magnetismi esse naturales, ea utuntur arte, servatis modestiæ ac castitatis legibus et recta intentione, secluso scandalo : contingeret autem scandalum si clericus, v. g., talem exerceret professionem, aut si intenderentur effectus omnino disproportionati, qui cum naturalibus causis nullam evidenter habere possent connexionem ; nam tunc aut forent inanes, aut a diabolo per implicitum pactum procederent.

Per decretum diei 21 aprilis 1841, Gregorius XVI pronuntiavit, approbando responsionem S. Cong. sancti Officii, *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.*

Expositum autem fuerat operationes magnetismi favere incredulitati et morum corruptelæ.

Anno sequenti, DD. *Gousset*, archiep. Rem., quæsiit an magnetismus in se spectatus, *sepositis rei abusibus re- jectoque omni cum dæmone fœdere*, esset licitus. Sancta Sedes huc usque tacuit; sed card. *Castracane* respondit, die 2<sup>a</sup> septembris 1843, quæstionem non cito definiendam esse, si unquam definiatur.

*De mortuorum apparitionibus, gallice revenants.*

Certum est Deum, Angelos sive bonos, sive malos, et animas defunctorum, beatorum aut miserorum, sub diversis formis apparere posse. Sic 1<sup>o</sup> Deus apparuit Adamo post ejus peccatum; Abraham, illi jubens ut filium suum immolaret; Moysi in rubo ardenti, Eliæ in monte Horeb, etc.; 2<sup>o</sup> boni Angeli apparuerunt in multis locis, v. g., Abraham et Loth ante Sodomæ subversionem, Tobia, B. Mariæ Virgini, etc.; 3<sup>o</sup> dæmones sub diversis formis, ut in Paradiso terrestri sub forma serpentis; 4<sup>o</sup> animæ defunctorum, ut Jeremias et Onias Judæ Machabæo et exercitui ejus, Moyses in monte Thabor; 5<sup>o</sup> ipsi viventes in locis remotis et simul in pluribus locis apparere possunt: v. g., pincerna Pharaonis hunc principem vidit in somnio, S. Paulus vidit Ananiam, Elias apparuit in monte Thabor, S. Franciscus Xaverius in pluribus locis simul visus est; S. Philippus Nereius, Romæ sistens, apparuit sanctæ Catharinæ de Ricci in Toscana, etc.

Non magis repugnat animas defunctorum, sive beatas, sive miseras, sub variis apparere formis, strepitum facere, gemere, loqui, aliquid postulare vel indicare. Possibiles sunt igitur reditus mortuorum, gallice *revenants*: plures exstiterunt, et ideo fides hujusmodi apparitionibus non est absolute irridenda aut contemnenda: sed innumeræ hac de re propalatæ sunt historiæ omnino fabulosæ, imaginationis perterritæ fetus, vel decipiendi causa excogitatæ. Itaque apparitionibus hujusmodi caute admodum adhibenda est fides. Qui tamen facilius eis crederet, nihil mali faceret, et contra prudentiam tantum ageret.

Hic esset locus dicendi de mortuis qui e sepulcris corporaliter nocte exeunt, et sanguinem vivorum sugunt et ebibunt, atque vulgo dicuntur *vampires*, de quibus fuse D. *Calmet* in opere inscripto: *Traité sur les apparitions des esprits et sur les vampires ou revenants*, 2 vol. in-12. Sed quamvis ille auctor multa congerat facta et argumenta, communiter in hoc habetur ut nimis credulus.

*Nota.* Docent communiter theologi, juxta *Concina*, t. 14, p. 27. abstinendum esse a pacto quo duo conveniunt ut qui prior obierit appareat viventi et statum salutis suæ ei manifestet, quia periculum est ne dæmon hoc cognoscens pactum, eo ad decipiendum viventem abutatur.

Punctum tertium. — *De vana observantia.*

1<sup>o</sup> *Vana observantia* ea est superstitionis species qua ad effectum obtinendum vel impediendum adhibentur media improportionata, nec a natura, nec a Deo, nec ab Ecclesia ad id ordinata. In eo differt a divinatione, quod divinatio per se ad cognitionem occulti vel futuri ordinatur, et vana observantia ad aliquid obtinendum vel omittendum.

Præcipuæ ejus species sunt ars notaria, observantia sanitatum et observantia eventuum, ad quas cæteræ facile reducuntur.

2<sup>o</sup> *Ars notaria* ea est qua quis per verborum ignotorum prolationem, aliqua signa, jejunia, aliave similia omnino improportionata, infusionem alicujus scientiæ sine ullo studio vult obtinere, sicque vel Deum tentat, miraculum modo inconvenienti postulans, vel dæmonem saltem implicite invocat; at in utroque casu graviter peccat. Hac arte uti dicuntur Anabaptistæ, qui, quodam in cœna sua sumpto poculo, statim incipiunt legere, recitare, interpretari scripturas antea sibi ignotas, dæmone verba ipsis suggerente, vel per os eorum loquente. Unde quandoque evenit ut catholici per exorcismos scientiam eorum adimant. *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Superst.*, n. 48.

3<sup>o</sup> *Observantia sanitatum* in eo consistit ut vana et in-

utilia adhibeantur media ad sanitatem hominum vel animalium conservandam aut recuperandam : unde effectus sperari non potest a natura, nec a Deo, qui miraculum non promisit : ergo explicite vel implicite speratur a diabolo, et ideirco hæc superstitio est peccatum ex genere suo mortale, quod tamen fieri potest veniale ex ignorantia et simplicitate, aut si fides non adhibeatur his rebus, quamvis aliquis existat timor.

Hinc superstitionis rei sunt qui gestant amuleta, ligaturas, involuera falsis characteribus consignata, quædam invocant nomina ignota, certum numerum crucium, orationum aliave hujusmodi inutilia adhibent ad sanandas infirmitates, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad sistendum sanguinem, ad obtinendum felicem partum, ad se vel alios reddendos invulnerabiles ; qui eo fine super se habent sacras reliquias, cruces benedictas, agnos Dei, certas preces, Evangelium S. Joannis, aliave pia objecta, effectum ex illis infallibiliter expectantes ; qui certo festo certas adhibent preces, certas postulant missas, cum numero determinato orationum, cereorum ; qui volunt septem aut novem pueros orare pro puero ægro tante, novem puellas pro puella ; qui ad sananda quædam vulnera requirunt herbas tali die collectas, a tali persona præparatas, etc., æstimantes has speciales circumstantias esse necessarias et efficaces.

Non vero est superstitiosum verba Scripturæ sacræ vel reliquias in honorem Dei vel Sanctorum gestare, jumentum circa templum alicujus Sancti circumducere, in festo ejus venam equi secare ex devotionis causa et ad suffragia Sancti obtinenda. Ita, cum multis aliis, *Busenbaum*, qui addit homines rudes bona fide ritum ab Ecclesia non receptum observantes, aliquando relinquendos in sua simplicitate, dum difficulter ab eo averterentur ; nec damnandos qui certas sequuntur devotiones, quas vocant novendiales, gallice *des neuvaines*, in honorem novem mensium quibus Christus fuit in utero matris suæ, vel piorum usu et praxi inter fideles assueta et a pastoribus approbata nixi ; qui triginta postulant missas, ad exem-

plum S. Gregorii ; qui quinquies dicunt *Pater et Ave* in honorem quinque plagarum Christi, etc.

Nec pariter improbandi sunt qui coram tali statua vel in tali capella Deum, vel B. Mariam virginem, vel sanctos invocant ; quia certum est pluries Deum specialem hanc devotionem miraculis, vel saltem gratis abundantioribus confirmasse ; unde tot imagines, vel tot sanctuaria per orbem christianum sparsa, et peculiari veneratione circumdata. In hujusmodi autem devotionibus et in iis quæ dicuntur *pèlerinages*, attente consulenda est vera ratio fidei gravisque traditionis, et cavendi sunt abusus qui sæpius ex ignorantia irrepserunt ; sed non ideo contemnendus est usus adeo pius, toties confirmatus et ab Ecclesia sæpe approbatus, populoque fideli, ad promovendam fidem et pietatem, et ad obtinendas speciales gratias, salutaris.

4<sup>o</sup> *Sequitur ex dictis* superstitiosum esse modum liberandi a febribus, quoddam faciendo instrumentum illudque projiciendo in ignem, nonnullas proferendo preces, etiam protestando se nullum habere velle pactum cum dæmone, quia actio protestationi adversatur.

At multi excusant familias quæ gaudent privilegio sanandi morsos a rabido cane per solum tactum, putantes hoc esse donum a Deo gratis datum. *Sanchez*, *Suarez*, *Lessius* et alii plures dicunt hujusmodi donum probabiliter admittendum esse in aliquibus pollutibus virtute nonnullos sanandi morbos, præsertim infantium, quædam proferendo verba, faciendo signa crucis, tangendo partes corporis affectas, etc. Qui talem habent virtutem, dicuntur in Hispania salvatores, ab episcopis et inquisitoribus examinantur ac tolerantur. Ita *Suarez*, de Superst. t. 2, cap. 15, n. 25.

Sic reges Galliæ consuetudinem habebant, a Roberto I, ut fertur, strumosos tangendi, ad sanandos eos, die suæ unctionis, et aliis quibusdam diebus quibus sacram Eucharistiam sumebant. Bonifacius VIII, in bulla canonizationis S. Ludovici, anni 1297, agnoscit eum *strumosis beneficium liberationis impendisse*. Hæc consuetudo perseve-

ravit usque ad Carolum X, qui etiam die suæ unctionis strumosos tetigit, sed non constat aliquos ex iis fuisse sanatos. Communissime docent theologi virtutem sic sanandi non fuisse naturalem, sed donum a Deo gratis datum, Unde plures referunt auctores Philippum I hoc privilegium per peccata sua amisisse. Vide in primis *Histoire de l'Eglise gallicane*, l. 6, in initio.

5° Juxta *Salmanticenses*, *Suarez*, *Sanchez*, *S. Ligorium* et alios, arcendi sunt ut superstitiosi qui carbonem contrahunt, halitu fornacum tepesciunt vel hominem occidunt; qui madidi vino sanant; qui in præsentia alterius salvatoris virtutem sanandi amittunt, qui eam virtutem ab aliis discunt, qui dicunt eam esse privilegium septimi filii, sine filiabus intermediariis, aut hominis tali die nati, etc.

6° Advertunt iidem auctores quod in dubio præsumendum sit effectum esse naturalem, quia, ut ait *S. Th.*, 2 2, q. 60. art. 4, « ubi non apparent manifesta indicia de » malitia alicujus, debemus id ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est. » Requirit tamen ut præmittatur protestatio nolendi malum effectum, si existat superstitio. Si vero certe vel probabiliter constaret rem naturaliter producere non posse talem effectum, potius judicandum esset aut illum frustra expectandum, aut a diabolo venturum esse.

7° Usus pulveris sympathici in distans operantis, v. g., sanguinem fluentem sistentis, vulnera sanantis, communiter damnatur ut superstitiosus; quidam tamen illius efficaciam conantur explicare per effluxum materiæ subtilissimæ.

Unde *Elbel* a *S. Ligorio* citatus et approbatus, l. 3, n. 20, censet hunc pulverem in casu urgenti permitti posse, modo vulneratus non nimium distet, v. g., non ultra trecentos passus, et præmittatur protestatio contra omnem diaboli operationem.

8° *Observantia eventuum* in eo consistit ut quis, ex cujusdam rei impertinentis fortuito occurso, bona vel mala sibi aut aliis eventura ominetur, et inde actiones

suas dirigat, v. g., iter infaustum timeat, si egrediendo pedem offenderit, aut lupus sibi occurrerit, et domum regrediatur; adire nolit convivium in quo tredecim debent esse personæ, timens ne una et forsitan ipse in eo moriatur anno; aliquid formidet infortunium ex inversione salinæ, ex sternutatione, ex cantu strigis vel crocitu corvi, etc. Ordinarie in hujusmodi actibus ex præjudiciis, simplicitate, ignorantia, timiditate procedentibus, vel nullum, vel ad summum veniale tantum est peccatum.

Non vero superstitiosum est observare lunam aut tempora aptiora colligendis herbis, purgandis corporibus, cædendis arboribus, seminandis granis, etc., quia hæc sunt naturalia, sicut prædicere pluviam ex inspectione cæli, ex doloribus podagræ, vel præagere alicujus internas dispositiones aut futuras qualitates ex ipsius metoposcopia (*physionomie*), quamvis prudenter admodum sit judicandum et agendum.

Punctum quartum.— *De magia et maleficio.*

1° Nomine magorum apud Græcos et Orientales intelligebantur sapientes, præsertim ii qui cursus astrorum observabant, id est astronomiam colebant: unde *Matth. II, 1: Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam*. Magia igitur in bono sensu accipiebatur. Postea vox illa translata est ad significandam artem quæ docet facere opera insolita et mira per causas occultas.

2° Magia dividitur in naturalem et superstitiosam. Magia naturalis est ars operandi mira per causas naturales, sed occultas, v. g., per operationes astronomicas, arithmeticas, clinicas, opticas, etc. Procul dubio in se est licita, modo absit deceptio, scandalum et omnis spiritus superstitiosus, etiamsi quædam proferantur verba barbara, sine fide, ad illusionem adstantibus faciendam et risum facilius excitandum. Vulgo appellatur *magie blanche*. Magia superstitiosa est ars mirabilia producendi opera vires humanas superantia ex pacto explicito vel implicito cum dæmone, et vocatur *magie noire*. In eo differt a divinatione,

quod divinatio versetur circa occultum aut futurum cognoscendum, et magia circa mirabile faciendum.

3° Si mirabile opus, sic magice productum, sit tantum ad ostensionem vel ad bonum sibi aut aliis procurandum, operatio nomen retinet *magiæ*: si vero nocumentum aliis inferat, vocatur *maleficium*, a verbis malum facere; et duplex distinguitur, *amatorium* scilicet et *veneficum*.

*Maleficium amatorium* in eo consistit ut amor venereus excitetur erga personam determinatam, non quod persona sic excitata malum necessario faciat, sed ad illud inclinetur et difficilius tentationi resistat. Dicimus erga personam determinatam, quia sunt *herbæ*, lapides, pocula quibus tribuitur virtus sensus *libidinis* commovendi et concupiscentiam, sed in genere: solius est *dæmonis* has flammæ inspirandi erga unam specialiter personam, phantasiam immutando, pulchriores exhibendo species, humores libidinosos excitando, etc.

*Maleficium veneficum* est illud quo, ope *dæmonis*, inferuntur mala hominibus, animalibus, frugibus, etc., v. g., quo homines redduntur *infirmi*, feminae steriles, proles languidae, pecora morbida, arbores siccae, etc.

Unde *magia simpliciter* dicta soli adversatur religioni: sed *maleficium*, sive *amatorium*, sive *veneficum*, simul lædit religionem et *justitiam* commutativam, ac proinde obligationem damnum reparandi inducit.

4° Negari non potest *sine errore in fide*, inquit Suarez, cap. 14, n. 7, magos exstitisse, ac consequenter existere posse: nam satis expresse habetur in Scriptura et in tota traditione, ut patet exemplo magorum Pharaonis, Exod. vii et viii, Pythonissæ Samuellem evocantis, I Reg. xxviii, 8; pseudoprophetarum, qui faciunt signa et prodigia, Matthæi xxiv, 24; Simonis magi, Act. vii, 9, etc., etc.

Nec Scriptura, nec traditio, nec Ecclesia definierunt an effectus *magiæ* sint reales, v. g., veri serpentes, veri mortui ad vitam revocati, an vero tantum apparentes, sive quia eadem excitantur sensationes ac si realia objecta sensibus obijcerentur, sive quia *dæmon* ex aere vel ex alia materia phantastica efformat corpora, quæ ad voluntatem evanes-

cunt. Probabilius videtur hos effectus esse duntaxat apparentes, quamvis ignoremus in quo constiterit hæc apparentia.

Certum tamen videtur ipsam Samuelis animam a Pythonissa fuisse evocatam cum apparentia sui corporis, siquidem Saül eum agnovit, et dixit Samuel ad Saül: *Quare inquietasti me ut suscitarer?...* Et ait Samuel: *Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te?* I Reg. xxviii, 15 et 16. In Eccli. xlvi, 23, legitur de Samuel: *Et post hoc dormivit, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitæ suæ, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Certe hæc intelligi non possunt de fictitia apparitione: dicendum ergo Deum voluisse hac vice ut vera Samuelis anima, cum eadem corporis apparentia ac olim, ad Pythonissæ incantationem adveniret, et veritatem Saüli prænuntiaret. Seclusa autem speciali Dei concessione, *dæmon* non habet virtutem animas præsertim beatas sic adducendi: hoc manifeste earum beatitudini repugnat.

5° Operationes quibus magi et sagæ mira operantur, si adhibeantur verba, dicuntur incantationes; ipsi vocantur incantatores, et sæpe in jure canonico ac in Historia ecclesiastica, sortiarii et sortiariæ appellantur a sortilegio, voce communiter usurpata pro cunctis operationibus diabolicis.

6° Quemadmodum Christus gratiam sanctificantem quibusdam signis sensibilibus annexuit, ita et *dæmones*, perfida quadam imitatione, sensibilia excogitaverunt signa, quorum applicatione vel sola præsentia effectus diabolici producuntur, ut referunt P. Le Brun, in opere supra citato; Thiers, *Traité des superstitions, selon l'Écriture sainte*, 4 vol., et generatim theologi ac canonistæ. Hæc signa sæpe sunt permanentia, ut philtrea amatoria, ligaturæ, stramina certo modo plicata, in terra abscondita, schedæ, quædam ex variis materiis profanis et sacris composita, etc.

7° Hoc superstitionis genus grave esse peccatum constat 1° ex Scriptura sacra, Exod. xxii, 18: *Maleficos non pa-*



*tieris vivere*; Deut. xvii, 10: *Nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur.... nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat*; 2° ex plurimis conciliis quæ Pontas verbo *Sorcier* citat; 3° ex praxi Ecclesiæ quæ has artes semper reprobavit; 4° jure canonico in quo plura sunt capita et integræ quæstiones contra sortilegos, magos, maleficos, etc., præsertim in Decreto, 2 part., causa 26, q. 1 et seq.; 5° ratione, quæ omnem prohibet societatem cum dæmone.

Huic peccato sæpe alia junguntur peccata de quibus confessarius magos et sagas interrogare debet, v. g., hæresis, idololatria, apostasia, blasphemia, sacrilegium, luxuria, damna proximi, quia inter eos alii credunt dæmonem non esse damnatum, alii illum honorant velut Deum, alii Christum et fidem divinam abnegant, baptismo renuntiant, alii ad sua sortilegia utuntur rebus sacris, sancto oleo, ipsamet sacra Eucharistia, etc.

8° Remedia contra maleficia sunt: 1° ea quæ ex medicina petuntur, v. g., usus plurium herbarum quæ, ex experientia, habent virtutem naturalem corrigendi humores ope dæmonis commotos; 2° exorcismi Ecclesiæ, illius preces, missæ sacrificium, aqua benedicta, reliquiæ sanctorum, signum crucis, invocatio sanctissimorum nominum Jesu et Mariæ, frequentatio sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ, etc.; 3° alia sunt moralia in eo sita ut peccatum cum dæmone initum dissolvatur, et signa magica destruantur.

9° Verum circa ultimum remedium quædam sunt observanda, scilicet: 1° non licet maleficium tollere per aliud maleficium aut per operationem magicam, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona. Unde non licet inducere maleficium etiam paratum ad tollendum maleficium, si illud tollere nequeat nisi per diabolicam operationem, quia esset illum inducere ad peccandum: in dubio an possit illud sine novo maleficio tollere, ab hac inductione abstinendum est ob periculum peccati. Ita *Layman, Sanchez, Suarez, Busenbaum*, etc. 2° Facilius præsumi potest eum qui signa posuit ea sine novo maleficio destruere posse,

quam eum qui non posuit: unde si hic suam operam offerat, prius examinandus erit de modo solvendi, inquit *Busenbaum*, post *Layman* et *Bonacinam*. 3° Si autem maleficus modo licito maleficium tollere possit, ad id accersiri, rogari, pecunia induci et etiam cogi potest, etiam si prævideretur eum neglecto modo licito, magica operatione usurum esse; quia tunc peccatum ipsi soli imputandum esset. Sic communiter theologi contra *Cajetanum*. 4° Unusquisque signa magica sibi cognita destruere potest sine periculo peccandi, dum quamlibet dæmonis operationem detestatur. 5° Cavendum ab iis qui sese ostendunt ut peritos in arte tollendi maleficia: vel enim ope dæmonis agunt, vel communis sunt impostores qui, ut pecuniam obtineant, affectus naturales, v. g., morbos aliasve calamitates exhibent ut maleficia, et sæpe ea his vel illis per enormem calumniam tribuunt: qui ministerio eorum temere utuntur, ad gravem injustitiam concurrunt et obligationem damnum reparandi incurrunt.

10° In veteri Lege qui consulebant ariolos, pythones, divinos, aut veritatem a mortuis quærebant, aut somnia atque auguria observabant, malefici, incantatores, etc., morte plectebantur, ex Exod. xxii, 18; Levitic. xx, 27, et Deut. xviii, 12. In nova Lege qui tales pessimas exercent artes, excommunicationi latæ sententiæ, secundum quosdam, aut saltem ferendæ sententiæ, juxta *Suarez, Sanchez, Lessium* et alios, subjiciuntur, ex Decreto, 2 part., causa 26, q. 5, can. 1 et seq. Clericus qui hoc fecisse deprehensus fuerit ab honore dignitatis suæ suspensus, perpetuam agat penitentiam in monasterio. Ibid. can. 5.

In foro autem civili omnes magici et quilibet malefici, de crimine convicti, olim ultimo plectebantur supplicio; id est, pœna in Deuteronomio lata eis applicabatur, et ordinariæ pœna ignis. Si agebatur de clerico, primum tribunalia ecclesiastica de superstitionis existentia pronuntiabant; deinde iudices sæculares, de pœna corporali applicanda: ubi vero accusati erant laici, iudices sæculares, in Gallia, de crimine et de pœna judicabant. Si ergo pœnæ corporales quandoque fuerunt nimis graves, hoc tribui

non potest Ecclesiæ, sed principibus sæcularibus, et multo magis moribus tunc existentibus.

De lamiis, sagis et strigibus, vide *Concina*, l. 3 in Decalogum, dissert. 2, cap. 12, ubi plures agit quæstiones magis curiosas quam utiles.

1<sup>o</sup> Parochi, concionatores, catechistæ et ii omnes qui munus populum Christianum erudiendi habent, enumerent tantum eas superstitiones quæ notæ sunt in suis regionibus, ne alias potius edoceant quam ab eis avertant.

Punctum quintum. — *De possessione et obsessione.*

1<sup>o</sup> Constat, ex dictis in metaphysica, ubi de Angelorum potentia agitur, dæmones multa posse, etiam potestate sibi naturali, quæ vires humanas superant.

2<sup>o</sup> Possessio in eo consistit ut dæmon corpori humano quodam modo uniatur, in illo et per illud extraordinaria operetur, v. g., singulares vires ei tribuat, illud assurgat, deinde projiciat vel cadere sinat sine ulla læsione accepta, occulta revelet, linguis ignotis loquatur. Si dæmon in corpore hominis residere non videatur, sed externe operetur, illud variis modis vexando, tunc adest obsessio.

3<sup>o</sup> Veras exstitisse possessiones et obsessions negari non potest absque errore in fide; id enim constat 1<sup>o</sup> ex Scriptura sacra, I Reg. xvi, 14: *Spiritus Domini recessit a Saül, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino.* Plerique Patres et interpretes putant Dominum revera misisse spiritum nequam, seu dæmonem, id est permisisse ut Saülem obsideret atque vexaret. In Evangeliiis multa sunt exempla possessionum vel obsessionum dæmoniorum, v. g., Marc. xvi, 9: *Apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia*; Matth. xvii, 17: *Et exiit dæmonium, et curatus est puer ea illa hora.* 2<sup>o</sup> Consensus Patrum et doctorum, constans traditio et praxis Ecclesiæ nullum in hoc puncto permittant dubium; specialis existit ordo ad conferendam potestatem imponendi manus super energumenos et abigendi dæmones ope exorcismorum. Ergo.

4<sup>o</sup> Funditus ergo ruunt argumenta incredulorum qui possessiones in Evangelio relatas negant, vel in sensu metaphorico intelligendas esse volunt, sub prætextu quod sint impossibiles; aliter enim ratiocinamur et dicimus: Certum est illas exstitisse: ergo sunt possibiles.

Aliunde increduli, pro more suo, congerunt difficultates, quæ prima fronte rationem offendere videntur, et serius perpensæ, nullius sunt roboris; dicunt in primis: 1<sup>o</sup> putatos dæmoniacos fuisse omnes ægrotos vel infirmos; 2<sup>o</sup> sæpe, ex narratione Evangelistarum, fuisse in eis plures spiritus immundos vel etiam legionem, quod de vitiiis metaphorice intelligendum est; 3<sup>o</sup> effectus dictarum possessionum fuisse valde limitatos, et ex contractione nervorum venire potuisse; 4<sup>o</sup> possessiones a multo tempore desiisse, et nunc esse inauditas, etc.

5<sup>o</sup> *Ad hæc respondemus*: 1<sup>o</sup> Ignoramus an dæmon ex potestate sibi naturali corpora humana possidere possit, an vero ex speciali Dei concessione, sicut legitur de calamitatibus in Job excitatis: in utroque casu fieri potest ut possessio morbos vel infirmitates producat, aut dæmon non nisi in corporibus tali vel tali modo dispositis operari possit; ipsius enim potestas necessario est limitata, vel ex natura ejus, sicut nostra respectu materiæ, vel ex Dei ordinatione. 2<sup>o</sup> Nihil obstat quominus plures, vel etiam multi dæmones eundem hominem simul vexent, in illo simul quodam modo resideant et operentur, ac proinde illum simul possideant. Item homo a dæmone possessus sæpe nihilominus suis utitur facultatibus, et humanos facit actus. Qua autem ratione hæc fiant explicare non valeamus, nec ideo eorum existentiam negare debemus. 3<sup>o</sup> Concedimus potestatem dæmonis in possessionibus multum esse limitatam, idque, ut diximus, vel ex ipsius natura, vel ex voluntate Dei expressa; sed negamus omnes possessionis effectus contractioni nervorum tribui posse. Numquid ex contractione nervorum contingit ut quis occulta cognoscat et revelet, ut loquatur in lingua quam nunquam didicit, eam intelligat, etc.? 4<sup>o</sup> Deus permisit ut in primis Ecclesiæ sæculis multo frequentiora exstiterint possessionis exempla,



tum ut ipsius gloria manifestaretur, tum ut ex miraculosa dæmonis expulsionem veritas religionis Christianæ magis incalesceret, tum quia dæmones, videntes suum imperium labefactari, potestatem suam ardentius exercere volebant. Quis autem ex his et similibus objectis concludere auderet facta possessionum in Evangelio narratarum sensu metaphorico intelligenda esse? Tota traditio ea in sensu literalis, obvio et reali semper intellexit. Præterea falsum est possessiones a multo tempore penitus desiisse; fuerunt quidem minus frequentes post prima sæcula, sed quædam nihilominus identidem visæ sunt, et in plerisque Ritualibus reperiuntur exorcismi quibus utendum est ad expellendos spiritus immundos a possessis et obsessis; qui ritus est antiquissimus, seu potius semper existit in Ecclesia Latina, ut videre est apud P. Martène, tom. 2, p. 970 et seq., et fuit olim usitatus apud Græcos, qui primitus habebant exorcistas sicut et nos, ut ostendit P. Goar.

6° Sæpe valde difficile est veram dæmonis possessionem aut vexationem secernere a morbis ex nervorum contractione vel ex imaginationis vitiatæ deliramento provenientibus. Quædam tamen sunt signa omnino certa, ut, v. g., si vexatus pareat mandato interius dæmoni facto, vel exterius, sed in lingua ipsi prorsus ignota; aut si faciat actus naturæ evidenter repugnantes, puta, si, pedibus sursum erectis, ad laquear domus elevetur, et ibi ad nutum imperantis maneat suspensus; si secreta quæ naturaliter cognosci nequeunt, clare et distincte aperiat; si lingua sibi ignota recte loquatur, etiarasi aliis diebus vel momentis hanc linguam intelligere non videatur, aut male loquatur; secreta revelare tentando mentatur; possessio enim non semper est continua, et insuper dæmonis interest ut mentatur atque nos decipiat. Alia signa etiam extraordinaria communiter sunt saltem æquivoca: forte dæmonis possessio vel obsessio existit, sed non constat.

7° Notandum dæmones variis modis vexare et possidere posse, Deo ita permittente, homines justos et virtutibus insignes, ut patet exemplo patientissimi Job, duorum sanctissimorum virorum quos memorat P. Martène, loco cita-

to, post Severum Sulpitium et Cassianum et aliorum. Nihil ergo ex consueta agendi ratione vexati concludere licet pro veritate aut falsitate possessionis, et energumeni qui tranquilla habent intervalla ad Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta admitti possunt.

8° Sicut maleficiati quandoque remediis naturalibus sanantur, ita et a dæmone vexati sic liberari possunt, quando scilicet expelluntur vel sanantur humores vitiatum quibus utebatur diabolus. Cura igitur medicorum non est negligenda.

9° Sed consuetum et efficacius remedium contra veram possessionem vel obsessionem est exorcismus qui fit nomine Ecclesiæ et a ministro ad id specialiter deputato. Olim exorcistæ virtute suæ ordinationis ad exorcizandos energumenos procedere valebant; nunc illud officium reservatur sacerdotibus qui ab episcopo pro singulis casibus committi debent; et ita fuit statutum ne morbi naturales, pro diabolicis operationibus sumpti, exorcismis frustra subjicerentur, in confusionem Ecclesiæ.

Prius ergo episcopus judicare debet, ex signis per se vel per alios sedulo observatis, an vera existat possessio vel non, et, possessione vel obsessione agnita, ad exorcismum ipse procedere, vel alium ad id deputare, et ordinem exorcismi vel orationes pronuntiandas determinare poterit.

In dubio de realitate possessionis vel obsessionis, illicitum non esset uti exorcismis, annuente episcopo; sed cavendum est ne scandalum aut Ecclesiæ contemptus inde nascatur.

10° Exorcismi non producant effectus suos ex opere operato, ut sacramenta, sed tantum ex opere operantis, scilicet ministri ad hoc munus deputati et Ecclesiæ cujus nomine agit; sanctiores igitur, quantum fieri potest, committendi sunt sacerdotes ad hoc officium explendum, et ipsi, præmissis confessione sacramentali, jejuniis et orationibus, cum firma fide, summa humilitate, patientia et constantia procedere debent: postulantiibus enim discipulis, cum viderent hominem male habentem subito a dæmone